741.
1002.

Dominica post Octavam Assumptionis.

MISSA

IN FESTO

PURISSIMI CORDIS B. M. V.

INTROITUS. *Ps. 44.*

Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus: adducentur Regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi.

Psalm. Idem. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.

Omnis gloria.

ORATIO

Omnipotens sempiterne Deus, qui in Corde Beatæ Mariæ Virginis dignum Spiritus Sancti habitaculum præparasti, concede propitius ut ejusdem Purissimi Cordis festivitatem devota mente recolentes, secundum Cor tuum vivere valeamus. Per Dominum.

Lectio Libri Sapientiæ. *Cap. 8.*

Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades ejus lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione; quasi nihil despiciet eam.

Graduale Cap. 7. 26. Nihil inquinatum in eam incurrit: Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius.

℣. *Cant. 6.* Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. Alleluja Allel.

℣. Magnificat anima mea Dominum; et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Alleluja.

✠ Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam. *Cap. 2.*

In illo tempore: dixit Mater Jesu ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus et ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatis: Nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Et descendit

Google

cum eis, et venit Nazareth: et erat subditus illis. Et Mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo....Credo.

Offertorium. Judit. 15. Quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum: ita et manus Domini confortavit te, et eris benedicta in æternum.

SECRETA

Majestati tuæ, Domine Agnum immaculatum offerentes, quæsumus, ut corda nostra igne ille divinus accendat, qui Cor Beatæ Mariæ Virginis ineffabiliter inflammavit. Per Dominum.

Præfatio. Et Te in Festivitate B. Mariæ Virginis.

Communio. Cant. I. Sub umbra illius quem desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.

POSTCOMMUNIO

Divinis refecti muneribus Te, Domine suppliciter exoramus, ut Beatæ Mariæ Virginis intercessione, cujus Purissimi Cordis Solemnia venerando egimus, a præsentibus periculis liberati, æternæ vitæ gaudia consequamur. Per Dominum.

Digitized by Google